

157





Piedras preciosas de
la Reina M^a Teresa
de Austria

1667



84





es del Colegio de la Comp.^a de S.^r de Palencia, y su librería

FA 136.185

v 17731537

Faint, illegible handwriting at the top of the page.

74 15 182

12 12 12



A V G V S T I S S I M Æ
M A R I Æ T H E R E S I Æ
A V S T R I A C Æ

REGINÆ CHRISTIANISSIMÆ, HISPANIARVM
pretiosæ gemmæ,

Gallici Cœli fulgenti Syderi, Hispaniciquè solis viuidiori imagini;
Regiæ Palladi, Christianissimum cum Catholico brachio ad
mansura iungenti fœdera; suorum Antecessorum diademata vir-
tute propria præferenti; virtutum omnium mirificæ excultrici,
cui tota Gallia solatium debet; Religioquè nostra vt ejus specia-
lissimæ Protectrici, ac inclytæ Patronæ cunctum affectum:

Prouincia Hispaniæ, siuè Granatensis Ordinis Minimorum, Massi-
liam pro comitijs Generalibus conuocata, hanc pagellam, Ange-
lica Theologia cœlatam, animi, gratitudinisquè suæ indicinas,
(opusculum etsi rē minimum, corde tamen maximum) obse-
quens offert; lubens dicat; & venerabunda sacrat, atquè in
æternum sacrasse gloriabitur.



NGENVM gentium apud Suetonium
notaui morem (SACRA, CHRISTIANISSIMA,
AC REGIA MAIESTAS) quo lustris
singulis Præfecturæ peractis Hymnicum cer-
tamen in honorem Imperatoris instaurabant
ciues; vt de præsentis imperij fœlicitate
sibi gratularentur, & futuram portenderent sospitatem. Hæc
ecquidē vix mente conceperam, cum dierum serie Generalatus
Minimorum expletum tempus exponente hoc ipso anni curri-
culo, Prouincia Hispaniæ, titulo Granatensis, Theologicum
certamen ad tuæ Christianissimæ Majestatis aras litat, vt sub
patrocinio tanto de peractō gubernio fœlix gloriatio, futuri
fortunatum vaticinium sit. At fortè mirabitur quis, quod
Theologia nostra quasi peregrina ad extera confugiatur regna?

immeritò tamen , cum mulierem fortem inuenire contendat ; nam
 si procul , & de vltimis finibus pretium eius , quomodo intra
 proprios terminos se continere valebit ? De te etenim verifica-
 tur , quod ad Rogèrium Siciliae Regem scripsit Bernard.
 Epist. 207. Longè , latèque satis dilatata est magnifi-
 centia vestra super terram. Etenim gloria nominis
 vestri quos fines non attigit ? Tanta igitur gloria nomi-
 nis tui , & quia Austriacum , & quia tuum , est , vt in om-
 nem orbem exiuerit sonus eius. Et cum memorem famam ,
 qui benè gessit , habet. Ouid. Fast. 2. virtutes tuas in fines
 orbis terræ dulcisonis carminibus fama sparsit : quid ergo mi-
 rum , quod nostra , si tua , te quærant. Absentia tua , ad instar
 Nationum illarum , quæ solis occasum , ac si iterum non redi-
 turi , luctu miserabili deplorant , nos angit. Hispanicum Hæ-
 mispherium radijs tuis vix gaudere cæpit , cum ad illuminan-
 dum Gallicum tuæ beneficentiæ luce translata fuisse doluit.
 O gloriosum Gallia regnum , tali Regina munitum , per quam
 sperare potest , quod faciet illi magna , qui potens est. An-
 gelus pacis es ; quæ diuturna bella ad amicabiles inducias breui
 interuallo reduxisti , vnde fœlix auguramur auspiciam. Pacem
 per Angelos Deus hominibus , cum verbum nascitur , nunciat ,
 vt ex Angelicâ nuntiorum indole , in æternum duraturam
 pacem notarent. Per te dies toti Orbi desideratissima illuxit ,
 cum per te tota belli gloria pace sepultâ quieuit. Plura in tui
 laudem proferrem , nisi meus tuâ modestiâ calamus hebetari
 timeret. Sed breui cingam tuas periodo laudes : Potes hoc
 Cæsar prædicare audacter (scribebat ad Neronem en-
 comiastes eius Cordubensis Seneca lib. 1. de Clementia cap.
 1. dum primis sui Imperij annis inculpatae vitæ Principis

Personam agebat) Omnium, quæ in fidem, tutelam que tuam venerunt, nihil per te nequè vi, nequè clam Reip. ereptum. Rarissimam laudem, & nulli adhuc Principum concessam concupisti, innocentiam. Non perdis operam: nec bonitas ista tua singularis, ingratos aut malignos æstimatores nacta est. Refertur tibi gratia. Nemo vnus homo, vni homini tam charus vnquam fuit, quam tu populo Rom., magnum longumque eius bonum. Nemo, quòd te imitari velit, exemplar extrà te quærit. Principatus tuus ad anni gustum exigitur. Difficile hoc fuisset, si non naturalis tibi ista bonitas esset. *Quæ omnia potiori iure de tua Maiestate dicimus.*

Ad te igitur, Christianissima Maieestas, ingenito pondere Angelica turba, in breui pagellæ istius campo, rudi minerua descripta desiderij plumis offertur. Septem anni sunt, quibus vtraque Natio armis, valete dixit; peccatisque animis tuum cum Christianissimo Francorum Rege Ludouico XIV. Hymneum celebrare ad propria vnaquæque redijt: in quorum memoriam septem Angelis, quos Ioannes Apocalyp. i. v. 4. ante Thronum Dei adstare vidit, Theologiam nostram aptamus, per vniuscuiusque nominis interpretationem supernam naturam, mirabilesque Dei proprietates detegentes. Nam imago Dei est Angelus (conclamat S. Dyonis. Areopag. de Diuin. nomin. cap. 4.) Manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum &c. recipiens totam (si iustum est dicere) speciositatem beneformatae Deiformitatis, & purè declarans in seipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditis. Non ergo abs re erit, dum Deum optimum M. rimari intendimus, per Angelorum

vocabula Theologicè discurrere. Hæc sunt Michaël, Gabriel & Raphael; quæ agnoscit, & colit Ecclesia: Iehutiël, Sealtiel, Barachiel, & Vriël; quæ licet incerta sint, multi haud infimæ auctoritatis probant Doctores. Iure ergo tibi nostra sacratur Theologia, ex omni parte Angelica; & quia Doctores Angelici Diui Thomæ, & quia septem Angelorum alis ad tuam Clementiam conuolat, ad quam humilis desiderij fortuna recurrit, vt sub tanta Patrona crescant, qui professione Minimi magis fidunt alieno potentioris Imperio, quam diffidunt de suæ pussilitatis natura. Sub tuam protectionem confugimus, certiores facti, quod nobis Hispanis fauere non desines, cui Hispanicæ oræ natale ministrarunt. Esther ad extraneam coronam euecta, etiam inter regales delicias Israelitarum non est oblita, quia & ipsa eiusdem nationis erat. Valeas igitur Regina Christianissima, tuo nomini æqualis, tuæ luci perennis, æternitati fœlicitas: sic omnium deposcunt vota; tua præfagiunt merita, atque communis salus desiderat. Sic optat Gallia, sicque Hispania orat.

QVÆSTIO THEOLOGICA

QVINAM SINT SEPTEM SPIRITVS qui in conspectu Throni Dei sunt ?

APOCAL. I. V. 4.

I.



S S E Angelos nouimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. Verba sunt mag. P. August. in Psalm. 103. v. 4. Hos diuinus sermo distinxit, & internas tertio repetitas distinctiones ad Sacrae Trinitatis diuisit imaginem, quæ nouem componunt ordines. Infirmum & constrictum rerum materialium superexcedunt numerum. Angelorum uocabulum nomen est Officij, non naturæ: Spiritus sunt, eo quod sunt: Angeli uero, eo quod nuntiant, uel agunt. Localiter mouentur, à legibus corporum omnino absoluti, motu continuo & discreto. Hoc de vno in aliud extremum impertransito medio vi propria transire ualent, actuque per operationem sunt in loco.

II.

I Ntelligentiæ uocantur, quia mira intelligendi uirtute pollent. Per species à primo intelligibili infusas alia à se intelligunt. Virtutem acquisitiuam, aut emissiuam specierum ab eis relegamus. Quo superiores sunt, eo uniuersalioribus informantur speciebus. Nullusque eorum, quantumuis supremus alium comprehendere ualet: & in hypothesi quod ad comprehensionem substantiam Angeli nudè sumptam exhaurire sufficeret, superior inferiorem, non uero è contra, comprehenderet. Cogitationes cordis, sicut & futura, seclusa reuelatione, certò cognoscere nequeunt: ista, quando præsentia redduntur, cognoscere ualent, at non per nouas species, sed per antiquas præexistentes & his pro-formali inuariatis manentibus.

III.

N Ostrum non est nosse tempora, uel momenta, quæ Pater in sua potestate posuit. Unde quot instantibus Angelorum uia terminata fuerit, certò definire non possumus: asserimus tamen, quòd status uia in omnibus Angelis siue bonis, siue malis æqualiter

durauit, & per plura instantia, si sumantur per correspondentiam ad indiuisibilia temporis nostri. Nullus in primo instanti peccauit, nec in secundo, quia in neutro potuit. Vnus alium illuminat, quin in illuminato nouum lumen naturæ, vel gratiæ fiat; sed per hoc, quod Angelus superior per modum magisterij, & doctrinæ veritatem agnitam ita coaptet, vt ab inferiori percipi possit. Angeli inferiores superiores non illuminant: neque dæmones, etiamsi superiores sint, alios illuminant.

IV.

Custodia Angelorum est quædam Diuinæ prouidentię executio circa homines facta. Singulis hominibus ab instanti sui ortus singuli Angeli in sui custodiam deputantur, ita vt nec Antichristo hunc prouidentię fauorem Deus denegabit: qui etsi non iuuetur quantum ad vitam æternam promerendam, iuuabitur tamen, in quantum retrahetur ab aliquibus vitiis, quia non tantum nocebit, quantum voluerit. Hoc officium singulos homines custodiendi ad infimum ordinem spectat: est autem probabile, quod maiores Angeli deputentur ad custodiam eorum, qui ad maiorem gradum gloriæ sunt à Deo electi, quare non inficerer, si S. Patri N. Francisco de Paula Archangelum in sui custodiam designatum dicerem.

V.

Consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui.

Daniel. 12. v. 1.

Michael vox hæbreæ est, composita ex interrogatione *Mi. i. quis*, & ex nota similitudinis *Capb. i. sicut*; ac demum ex sacro Dei nomine *El*, quæ omnia idem valent, ac *quis sicut Deus*? Angelorum Principem significat, & verè Princeps, vtpote omnium spirituum supernorum Coryphæus Sacer, Ordinis Seraphici supremus, Minimorum specialissimus Patronus, qui B. P. N. sacra Religionis stemmata tradidit. Iure *magnus*, siquidem eius nominis vnitate, extrinâ dictione hæbreæ constituti, Trinitas personarum in vnitate essentię adumbratur. Vnum Deum in Trinitate colimus: vnum in essentia, cuius vltimum constitutum, & quasi differentiale prædicatum non in intellectu actuali, sed in intellectu radicali consistit. Subsistentiam absolutam in Deo fatemur.

VI.

Triados verò sacre mysterium in hoc stat, quòd vnica, & indiuisibilis natura in triplici persona realiter discreta per identitatem subsistat. Personæ diuinæ per relationes secundum ad non exercitum, sed conceptum formaliter constituuntur. Prima persona, quæ

à nulla, & à qua aliæ, est Pater : potentia generatiua splendet, quæ in recto absolutū, & in obliquo relatiuū dicit. Secunda, quæ à prima & à quibus tertia, est Verbū D. Cui esse Patris, & omnia præter esse Patrem Pater communicauit. Ex cognitione omnium, quæ sunt necessariò in Deo, per se procedit. Persona tertia, quæ à duabus, & à qua nulla, Spiritus sanctus est : Vnde geminam inferimus processionem ; prima, quia est à principio coniuñctæ, generatio est, quod non habet secunda.

VII.

Ego sum Gabriel, qui sto ante Deum. Luc. I. V. 19.

Gabriel, qui *Fortitudo Dei* interpretatur, miram supernæ voluntatis efficaciam, diuinæque omnipotentia vim mirabilem nobis ostendit. Attingit Deus à fine vsque ad finem omnia fortiter, & suauiter ; fortiter, quia quæcunque ab æterno facere decreuit, infallibiliter fuerunt, & erunt : & suauiter, quia omnia iuxta rerum pondus (sic eius prouidentia dulciter disponente) eueniunt. Decreta indifferencia reiicimus, decreta verò ex natura sua efficacia, quæ nihil expectant, vel ex parte nostra supponunt ad infallibilem existentiam effectus, propugnamus. Nullus actus diuinæ voluntatis est, qui efficax non sit. Circa quidditatem actus liberi adscribimur cum opinantibus, esse ipsummet actum necessarium, prout ad creaturas se extendit.

VIII.

Diuina omnipotentia cum possibilibus ita strictè connectitur, vt his deficientibus, & Deum deficere inferamus. Qui omnia potest, omnia & scire necesse est : vnde scientiam in Deo negare nefas esset. Hæc in simplicem notitiam, quâ se, & cunctaabilia ; & in scientiam visionis, quâ futura, & existentia agnoscit, adæquatè bipartitur. Scientiam autem conditionatam, siue mediam non cognoscimus. Futura, quæ conditioni nunquam purificandæ innittuntur, audimus : sed futura esse negamus, circa quæ decretum omninò implicare tenemus. Futura præsentialitatem Physicam in aternitate habent, in qua Deus intuitiue ea cognoscit. Essentia diuina, prout ab attributis, & relationibus præcisa, est primum, siue obiectum motiuum scientiæ diuinæ.

IX.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem parauit. Exod. 23. V. 20.

Iehudiel ex hoc textu Expositores colligunt : remunerator interpretatur, per quem Deus, quatenus pro electorum operibus seipsum

in beatitudinem exhibet, significatur. Hæc est brauium, seu corona, quam post cursum foeliciter consummatum sibi esse repositam, gloriabatur Apostolus: ad quam ab æterno destinati fuerunt electi. En prædestinationem, per quam creatura rationalis in vitã æternam infallibiliter transmittitur. In actu intellectus practici, qui *imperium* dicitur, formaliter consistit. Per missionem peccati inter eius effectus computamus. Nullus electorum ad intuitionem Dei sine meritis perducitur: cum hoc tamen stat, quod ante præuisa merita fuerit voluntas efficax ipsis conferendi gloriam. Idem de reprobatione sine discrimine sentimus.

X.

Beatitudo, alia est objectiua, & formalis alia: ab illa omne creatum excluditur, quia in solo Deo, vnico totius boni perenni fonte satietatem propinare valemus. Formalis autem, vi cuius creatura Deum possidet, est adæquatè actus facultatis intellectiue. Ad ipsam eliciendam Diuina essentia gerit munus speciæ impressæ; & aliter euenire possibile non est. Ab inæqualitate luminum visionum inæqualitas desumitur. Indifferentia ad malum ægroti animi indicium est, in illo igitur summæ salutis foelicissimo statu nulla morbi labe- cula beati foedari possunt: sunt nanque ab intrinseca forma, scilicet visione beata, impeccabiles. Impossibilem iudicamus creaturam, cui beatitudo connaturalis esse valeat. Visioque B. locutio non est.

X I.

QVI bona opera misericors, & miserator remunerat, etiam mala iustus punit. Hæc peccata sunt, quorum voluntarijs vinculis laqueati, ab affecutione beatitudinis præpedimur. Alia commissionis sunt, & omissionis alia, & vtraque legi ita aduersantur, vt si lex non esset. licerent omnia. Peccatum commissionis in positiuo formaliter consistit, ita vt priuatio non solum ad rationem formalem, & Metaphysicam peccati non spectet, verum & nec ad ipsam vllatenus sequatur. Læthale habet in ratione offensæ infinitatem simpliciter. Peccata omissionis regulariter afferunt actus, qui causæ, vel occasiones illorum sint: & aliter contingere nequeunt, vnde puram omissionem culpabilem impossibilem censemus.

XII.

Dixitque ei Angelus Domini, reuertere ad Dominam tuam & humiliare sub manu illius. Genes. 16. v. 9.

Sealtiel id est Oratio Dei ex his inferitur. Pro hominibus Deum orat. Nosque ad orandum, & alia bona opera exercenda excitat: orat

pro nobis, vt Deus gratiam vel conferat, aut conferuet. Ista est prima radix in linea supernaturali, & forma, seu habitus læthiferae labis expulsiuus, quo Deus nos iustos facit, talemque oppositionem cum peccato mortali habet, vt nec Deus hanc litem dirimere valeat. Est participatio formalis naturæ diuinæ, & filiationem Dei adoptiuam ita præstat, vt hunc effectum ab alia forma, quam ab ipsa, tribui implicet. Iustificatio non per non imputationem, vel quia peccata radantur, sed per veram iustitiam in hærentem, qua peccatorum lues prorsus aboletur, fit. Vltima dispositio ad gratiam, non ab auxilio, sed ab ipsamet gratia procedit.

XIII.

Absque gratia habituali nullus est, qui vitam æternam mereri queat. Meritum aliud de condigno, & aliud de congruo est: hoc non æqualitatem valoris, sed proportionem quandam cum præmio habet, illud verò ex opposito se tenet. Ad meritum ita libertas exigitur, vt actus necessarius nec de absoluto posse meritorius esse valeat. Opera iusti non viatoris meritoria euadere non implicat. Promissio insuper de bonorum operum remuneratione, non vt ratio formalis ea dignificans, sed vt conditio, ad meritum comparatur. Actus Charitatis ex se meritorij sunt, aliarum verò virtutum actus non, nisi à Charitate imperio actuali, vel virtuali imperentur. Meritum non augetur ex maiori intensiõne habitus, sed actus.

XIV.

*Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara
vxoꝝ tua. Genes. 14. v. 10.*

BARACHIEL, i. adiutor, volunt interpretes hunc Angelum fuisse. Qui sterilitatem Saræ deuicit, quæ concepto fœtu prolem fœliciter in lucem edidit. Deum nostrum, refugium, & virtutem: adiutorem in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis, demonstrat. Postquam innocentie splendore prima culpa viduauit naturam, ad quodlibet opus salutare perpetrandum sterilis mansit, itaque gratia auxilians necessaria est. Est igitur auxilium diuinæ gratiæ donum supernaturale nobis à Deo gratuito collatum, omninò requisitum, vt vi illius eleuati actus ad salutem conducentes efficiamus. In sufficiens, & efficax scinditur: hoc quam plurimis denegatur, illud autem omnibus conceditur. Efficax operationem infallibiliter infert, liberè tamen.

Respondit ad me Angelus, qui missus est ad me, cui nomen Uriel. Esdr. 4. v. 1.

V*riel lux Dei* interpretatur, quia homines Dei cognitione illuminat, quam per fidem, quæ vera lux est, acquirimus. Huius Virtutis formale obiectum est prima veritas in testificando, à quo reuelationem passiuè sumptam excludimus. Hanc spes subsequitur, qua ad cœlestia erigimur: ipsius formale obiectum est auxilium diuinæ potestatis, & pietatis, prout beatitudinem in ratione obiecti ardui assequibilis constituit. Materiale primarium est beatitudo obiectiua: in parte irascibili voluntatis subiectari contra Lulistas sentimus. Iudicium certum de negatione beatitudinis spem repellit: vnde nec posset, nec teneretur sperare reprobis, qui de sua damnatione diuinitus moneretur, posset tamen licitè diffidere.

XVI.

I*gnis Dei* etiam *Vriel* interpretatur, quia nos diuino amore inflammare conatur. Vnde si Fide ducimur, & Spe erigimur, Charitate ad salutis viam arripiendam accendimur. Hæc est Virtus, quæ inter Theologicas eminet, clamante Paulo, *Horum autem maior est Charitas.* Est tota ratio agendi actum Charitatis, qui sine ipsa nec de posse absoluto producibilis est. Nostris actibus nec de facto, nec de possibili causatur. Per maiorem radicationem in subiecto intenditur. Quo vis actu charitatis, quantumuis remisso, meretur statim homo augmentum gratiæ, & charitatis, sed non statim recipit illud; nisi quando se disposuerit, in actum feruentiorem prorumpens, qui in hac vita semper producetur.

XVII.

Ego enim sum Raphaël Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum. Tob. 2.

P*ER RAPHAELEM*, qui *DEI MEDICINA* interpretatur, quia & dæmonium religauit, & ab oculis Tobix felle piscis linitis albuginem expelli curauit; Christus D. Redemptor noster designatur: languidi quippè humani generis misertus, ipsius reparare ruinas, vniuersamque Adamidum massam prima labe deturpatam è diabolica seruitute eruere, cæcitatibusque nostræ tenebras, quibus irretiti detinebamur, expellere volens, nostram Verbum D. suscepit naturam, & propriam non amisit, quin deitas vllum subiret detrimentum, nec Dei formam serui forma violaret. In natura assumpta satisfactionem ab intrinseco condignam, & æqualem, imò & superabundantem, iurisque apicibus ad vnguem seruatis, pro nobis exhibuit.

CHRIſTUS D. & dignitate, & ordine Primus omnium prædeſtinatorum fuit. Ipſum namquè antè præuiſionem formalem, & abſolutam non modo peccati, verum & cujuſlibet creaturæ in noſtri medelam fuiſſe deſtinatum cenſemus: Verbum ergo diuinum ex vi præſentis decreti carnem aſſumeret, non exiſtente Adami peccato; illationem hanc diſſitemur. Omnia peccata tam actualia, quàm originale deleturus venit; principalius verò propter originale, ita, vt illo exiſtente, etiãſi omnia actualia auferas, veniret. Et in hypotheſi, quod hic & nunc peccatum originale in poſteros ex meritis Chriſti non deſcenderet, adhuc ex vi præſentis decreti veniret Verbum; quod non fuit per incarnationem intrinſecè innouatum.

XIX.

NATURA humana per ſubſiſtentiam relatiuam filij terminata, adhuc perſonalitatibus Patris, & Spiritus S. terminabilis eſt: & in hypotheſi quòd Pater æternus carnem aſſumeret, eſſet filius hominis, Dei autem nec filius naturalis, nec adoptiuus diceretur; ſi verò filius Trinitatis filiatione fundata ſuprà creationem humanæ naturæ: nec diceretur miſſus à Deo in tempore; præceſſione enim æterna, quam temporalis miſſio exigit, careret. Humanitas Chriſti eſt ſubſtancialiter ſancta à diuinitate. Chriſtus onere ſatisfaciendi ſuſcepto, liberè pro nobis mortuus eſt. Antequam Pater illi præceptum de morte ſubeunda injungeret, habuit voluntatem efficacem moriendi, poſt quam à Patre petiuit dicti præcepti impoſitionem, vt ex obedientiæ motiuo moreretur.

XX.

DE aperto Medici ſalutis noſtræ latere ſeptem Sacramentorum ſcaturigines profluxere, quorum determinatam formam nequit formaliter ſaltem Eccleſia immutare; ſubſtancialis enim variatio irritum reddit Sacramentum. Duo ſunt mortuorum, Baptiſmus ſcil. & Pœnitentia; viuorum autem alia; omniaquè ex opere operato, & phyſicè cauſant gratiam. Pœnitentiæ materia proxima ſunt Pœnitentis actus: remota verò peccata deteſtanda. Hæc ſemel remiſſa, neque quod pœnam, neque quoad culpam, vnquam redeunt. In Sacramento Pœnitentiæ talem, tantamquè vim poſuit Deus, vt merita antecedentia, quæ per peccatum ſubſequens mortificata fuerant, per illud ſecundum omne jus ad gloriam reuiuſcant.

XXI.

ANGELVS Raphaël, vt Tobiam ſeniores ſanaret, fel piſcis iuniori reſeruari; ac cor, & jecur, vt ipſum è diabolo liberaret, ſibi reponi præcepit, carneſque ad viaticum diſpoſuere, quouſque in Ragès ciuitatem Medorum perueniret. Sic igitur Chriſtus D. non ſolum morbis noſtris medicamina inſtituit, quibus è diabolica erueremur poteſtate, ſed & nos in via reficere volens, quouſque in cœleſtem Ieruſalem, ciuitatem Beato-

rum perueniamus, non Piscium carnibus, sed suo sacratissimo corpore cibauit nos, ac proprium propinauit sanguinem. En venerabile, altissimum que Eucharistiæ Sacramentum, vbi facta consecratione substantia panis, & vini, quin annihiletur, omnino abest. Terminus formalis transubstantiationis est Corpus Christi, vt ex pane.


*Hæc Scholasticas decisiones ex Vniuersa Angelica Theologia Selectas, publico exponit certamini in Conuentu Minimorum Massiliensi, S. RAPHAELI ARCHANGELO Sacro, inter Comitia Generalia celebranda, F. ALPHONSVS LAVRENTIVS DE PEDRAZA, sub umbra illius, quem desiderauerat, sedens, scil. R. Adm. P. F. MICHAELIS DE FVENTES, Lectoris Lubiati, ac Rmi P. N. GENERALIS pro Hispanis Collegæ.
Die 24. Maij, anni 1667.*


MASSILLÆ, Apud CAROLVM BREBION ET IOANNEM PENOT,
Vrbis Typographos & Bibliopolas. 1667.


... von Pilsener ...
... die Buchführung ...
... die ...


... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...











- 10.



5807